



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton


Ingolstadij, 1726

Casus VII. De Venditione tritici apparenter usuraria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

ipsi liberum fuerat restituere triticum tempore quo minus valebat, ita ut pretio hoc minore contentus debuerit esse mutuans; quia tunc æqualitas inter mutuantes ac mutuatarium extitisset, & mutuans æque incertus fuisset de lucro ac de damno, atqui hoc in nostro contractu non intervenit,

ob quem majoris damni periculum maius subit mutuans quam mutuatarius: quin imo hic nullum omnino subiret, eò quod semper sibi solvendi essent 1. fl. 45. crucig. pro qualibet scapha, licet hæc longè minore pretio venderetur.



CASUS VII.

De Venditione Tritici apparenter Usuraria.

CAjus vendit Sempronio expetenti, & summè indigo trecentas circiter scaphas Tritici hac conditione, ut circa tempus autumnale pro singulis scaphis sibi solvat 10. fl. 45. crucig. licet tempore contractus minori pretio singulæ scaphæ venirent. Ulterius tamen circa hunc contractum notandum, prævisum tunc fuisse; quamlibet scapham Tritici intra breve tempus prædicto pretio vendendam esse, insuper tempus autumnale emptori tanquam terminum solutionis, quem tamen prævenire posset, constitutum fuisse.

Q. 1. An Cajus ad restitutionem obligaretur, si emptorem intra dimidium justij pretij læsisset?

Q. 2. An carius potuerit vendi ratione lucri ex venditione cessantis?

Q. 3. Num ob periculum recipiendæ solutionis augeri pretium potuerit?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An Cajus ad restitutionem obligaretur, si emptorem intra dimidium justî pretij lesisset?

- | | |
|--|--|
| 1. Explicatur natura Emptionis. | 6. Præter hoc legitimum datur adhuc aliud, quod vocatur, naturale. |
| 2. Ex qua essentialia cujuslibet emptionis eruuntur. | 7. Licet triticum notabiliter melius communiter vendi solito, vendeve aliquantum carius. |
| 3. Justitia pretij non dependet à consensu solo contrahentium. | 8. Non licet sine causis naturale pretium augmentibus carius vendere suum triticum, etsi lesio sit infra dimidium. |
| 4. Aut à sola mercium natura, & intrinseco valore. | 9. 10. 11. 12. 13. 14. Satisfit objectionibus. |
| 5. Sed ex statuto Principis Supremi vel Magistratûs. | |

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An carius potuerint vendi ratione lucri ex venditione cessantis?

- | | |
|--|---|
| 15. Lucrum cessans est sufficiens causa vendendi res majore pretio. | obtinendum carius vendi res possunt deducta tamen estimatione laborum &c. |
| 16. Uti etiam vis, metus, aut fraus ad venditionem compellentes. | 18. Quandonam venditio sit vera causa cujusdam lucri cessantis. |
| 17. Etiam istis non intervenientibus ob sperationem majus lucrum aliàs | 19. Satisfit objectioni. |

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num ob periculum recipiendæ solutionis augeri pretium potuerit?

20. Adducuntur rationes probantes ob periculum solutionis non posse augeri pretium. 21. Defenditur tamen oppositum. 22. Et superius allatæ rationes contrariæ enervantur.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

An Cajus ad restitutionem obligaretur, si Sempronium intra dimidium justî pretij lassisset?

1. **E**mptio prout ab alijs contractibus distincta, speciale quoddam pactum constituit, à plerisque jurisperitis non incommode definitur, quod sit *contractus juris gentium, nominatus bonæ fidei solo consensu initus, de re, sive merce emptori tradenda, & pretio certo venditori dando*. Brevius alij dicunt, quod *emptio sit pactio pretij dandi pro merce: venditio autem pactio mercedis dandæ pro pretio*.
2. Ex hac definitione optimè inferitur, quod ad venditionis, aut emptionis substantiam, constitutionem, ac perfectionem, necessariò requirantur consensus, pretium, & merx: hæc ex parte venditoris: illud ex parte emptoris; consensus ex parte utriusque; iste respectu mercis, & pretij tanquam cujusdam materæ habet rationem formæ, ac necessariò requiritur vi legis *nona primæ ff. de contrab. emptione*; æque in eo consistit, quod contrahentes circa rem & pretium mutuo conveniant, dum venditor promittit traditionem rei, emptor solutionem pretij, sine pretio emptionem celebrari non posse, innuunt *Lex 2. ff. de contrab. emptione, & lex 72. ff. eodem: ibi substantia emptionis consistit in pretio*. Hoc autem debet esse verum, certum, pecuniarium, & justum.

Dubium

3 Dubium nunc moveretur, an hujus pretij determinatio ex particulari contrahentium consensu; aut ex ipsa mercium natura, & intrinseco mercis ac pretij valore: vel ex statuto legis, aut denique ex recepto contrahentium usu faciendâ sit, ut iustum denique pretium alicujus mercis statuatur.

In hoc puncto est communis omnium & certa sententia, non omne statim pretium circa quod in quolibet particulari casu contrahentes conveniunt, iustum esse, consequenter non esse licitum, quovis pretio emere, aut vendere. Nam in lege 33. ff. ad legem Aquiliam: & Leg. 63. ff. ad legem falcidiam habetur, *pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singularum, sed communiter* (juxta communem aestimationem) *funguntur*: consequenter res tanti est aestimanda, quanti verè est, & omnibus valet, non autem ex affectu cujuslibet erga illam.

Nec ista immerito statuerunt jura: nam in contractu emptio- nis, uti etiam in cæteris, æquitas observanda est inter contrahentes: sed hæc consistit in æqualitate pretij cum re: ergo hæc æqualitas pretij cum re observanda erit: atqui hæc æqualitas non consistit in sola particulari conventionione contrahentium super hoc vel illo pretio, cum tam res, quæ venditur, quam pretium, quo venditur, habeant intrinsecum quen-

dam valorem, qui ab aestimatione hujus, vel illius ementis, vel vendentis in particulari, cum possit esse erronea, non dependet.

4 Equè parùm mensura justij pretij desumi potest ex sola mercium natura, & intrinseco earum, & pretij valore, quia iste ordinariè nobis est incognitus secundum intrinsecam suam bonitatem, ac perfectionem, vel secundum aptitudinem ad humanos usus, & commoda in his vel illis circumstantijs.

5 Hinc ab omnibus tenetur, determinationem justij pretij ex statuto Magistratus vel supremi Principis fieri posse, quod legitimum, hoc est, lege Principis, Magistratus, aut Reipublicæ statutum nominatur.

Præter hoc legitimum etiam naturale pretium datur, quod sine humanis legibus, ex naturis, conditionibus, & circumstantijs rerum confurgit, ac definitum à fori consuetudine, & communi contrahentium usu fuit. Ita habetur in leg. *pretia rerum 63. ad legem falcidiam*. Hujus naturalis pretij æquitas fundatur in communi multitudinis judicio: quia tanti quælibet res aestimatur, quantum pro ea communiter offerri aut dari solet, hoc modo acceptum naturale pretium rerum nequaquam in indivisibili consistit, sed latitudinem patitur: consequenter justitia ab eo nequaquam

M

quam

quam violatā fuit qui intra huius justī pretij latitudinem substituit. His præsuppositis.

7 Dico 1. Si venditum à Caio triticum notabiliter melius fuit illo, quod communiter vendi solet pretio legitimo, aut naturali, non peccavit vendendo illud carius, si excessus pretij non superavit excessum venditi tritici supra communiter vendi solitum. Probat: pretium minus legitimum aut naturale est taxatum duntaxat pro frumento inferioris notæ: ergo vendens majore, excessum tamen bonitatis non superante pretio, non commisit injustitiam, quia hanc intantum violasset, in quantum supra ordinarium pretium vendidisset.

Confir. Lopez p. 2. Instruct. cap. 42. Lessius lib. 2. c. 21. n. 23. concedunt, in nostro casu, si scilicet triticum venditum sit melius illo, quod ordinarie venditur, posse vendentem nobiliori suo tritico aliud vilius immiscere, eò quod tunc æque bonum, & utile, ac est aliud frumentum, vendat. Ergo etiam si venditum à Caio triticum fuit notabiliter melius illo, quod communiter vendi solet pretio legitimo, aut vulgari, si excessus pretij non superavit excessum venditi tritici supra communiter vendi solitum; vendendo illud carius, non peccavit. Prob. conf. ideo immiscens nobiliori suo tritici aliud vilius, & vendendo

istud pretio corrente non peccat, quia merx est æqualis pretio, & istud adhuc est justum, atqui hoc etiam in nostro casu verificatur: prob. min. pretium ordinarium & inferius, duntaxat est justum respectu tritici vilioris: ergo cum venditum ponatur nobilius ordinariè & communiter vendi solito, licet majore pretio fuerit venditum, hoc tamen potuit esse justum.

Dico 2. Si Caius absque causis, ex quibus naturale pretium crescit carius vendidi suum triticum, etsi læsio sit infra dimidium, peccavit, atque ad restituendum excessum est obligatus. Ita D. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. cum communi.

Probat: concl. 1. ex Dentone, cap. 25. v. 13. prohibente, quin discrimen inter parvam & magnam quantitatem faciat, deceptionem in pondere, ac mensura item Prov. 20. V. 10. pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum. Item Lege 6. S. 2. ff. de jure dotium habetur, quod æquo & bono non conveniat, aut lucrari aliquid cum damno alterius, aut damnum sentire per alterius lucrum.

Probat: 2. Etiam si læsio sit infra dimidium, per hoc tamen violata fuit æqualitas inter mercem & pretium: atqui justitia postulat hanc æqualitatem. Conf. 1. læsio infra dimidium facta in certo contractu potest multum

superare læsionem ultra dimidium in alio minoris momenti contractu factam: ergo læsio infra dimidium non excusatur ob parvitatem materiæ, etsi lædens ultra dimidium in minoris momenti contractu tenetur restituere, tenebitur etiam lædens infra dimidium.

Confirmatur 2. Nullus datur titulus, ut quisque excessus supra justum pretium retineatur, sed absque titulo non potest alicujus rei dominium de novo acquiri ergo &c. Probatur Maj. non potest dici, quod emptor donaverit, quia putat esse debitum ex contractu, & valorem mercium: dein ex hoc contractu pariter est indebitum ergo &c.

Probatur 3. Si nulla lex positiva fuisset lata, quæ læso infra dimidium denegat actionem, omnes afferrent, dari obligationem solvendi hunc excessum, tanquam acceptum injustè: licet non superet dimidium: ergo etiam datur posita tali lege. Probatur. conf. hæc lex lata nequaquam à læsione infra dimidium hanc injustitiam abstulit, sed solum actionem in foro externo taliter læso denegat.

Contra dicta num. 4. Ob. 1. juxta vulgare Juris peritorum axioma: *ex lege pretia verum 63, f. ad legem falcidiam desumptum res tanti est quanti vendi potest.* ergo Justitia pretij determinatur ex

conventionem contrahentium. *u. dist. ant. tanti est res, quanti vendi potest licitè, ac intra limites justij pretij: aut quanti vendi potest secusis dolo, fraude, ignorantia, violentia, necessitate, nimio affectu, vel cæca passione, concedo: quanti vendi potest extra limites justij pretij vel non secusis dolo, fraude &c. Negatur ant. & conf.*

Ob. 2. Contra dicta ejusdem ¹⁰ num. 4. Quisque suæ rei moderator est, & arbiter ergo potest alteri rem suam tradere pretio quod sibi placet. *u. dist. ant. quisque est suæ rei arbiter, ita ut ordinariè illam non teneatur alienare, aut retinere, sed alienare vel retinere possit: conced. ut illam etiam pretio, in quo non fervetur æqualitas inter hoc & mercem, distrahere possit, negatur.*

Ob. 3. Contra nostram ¹¹ primam conclusionem. In cap. *cum dilecti: 3. & c. cum causa 6. h. tit. & lege rem majoris 2. item lege si voluntate 8. C. de rescindenda venditione.* Negatur actio læso contra lædentem, nisi læsio sit ultra dimidium consulti pretij. ergo &c. *u. neg. conseq. aliud enim est, in foro externo lædentem infra dimidium non obligari ad restitutionem, nec habere in foro externo actionem, vi cujus talis lædens à judice in foro externo compellatur ad restitutionem, & aliud prædictis legibus*

M 3

talem

talem infra dimidium factam læsionem ut iustam approbari, quod illud prius duntaxat fiat, ex eo constat, quia in alijs etiam materijs denegantur actiones in foro externo, licet in conscientia peccatum fuerit, & detur obligatio restituendi. 2. Certum est, quod mala fide, ac scienter alterum taliter lædens in conscientia peccaverit, ergo jura, ne sint injusta, fide mala factam læsionem non approbant: ergo neque approbant intra dimidium bona fide factam. Probatur conf. citata leges nullum discrimen inter bonæ ac malæ fidei factam læsionem facientes indifferenter iisdem terminis de utraque in genere loquuntur, ergo &c.

11. Urgent: potuit lex humana ad vitandas lites, & animarum pericula statuere, ut læsio infra dimidium injustitia, & obligatione restituendi careret, prout videmus in præscriptione factum. 12. ideo leges de præscriptione agentes auferre dominium rei legitime præscriptæ priori domino, non autem jus ad excessum infra dimidium iusti pretij læso, quia incommoda, quæ sequi possunt in hoc ultimo, non sunt tanta, quanta sequuntur, si præscriptio non transferat dominium in præscribentem, uti patet consideranti: si enim præscriptione non transferretur dominium, multi ex divitibus subito pauperes evaderent, & toto tempore etiam longissimo

in constanti, ac perpetuo metu amittendi sua bona vererentur. Deinde in lege 3. ff. de Usurpationibus. Præscriptio dicitur esse formalis acquisitio dominij per continuationem possessionis tempore, & modo à LL. præscriptis.

Ulterius l. 1. ff. de usurp. & usurpationibus. dicitur ulucapio se inducitur bono publico, ne diu, & ferè semper incerta essent dominia rerum: ergo præscriptio juxta legem completa ita transfert dominium in præscribentem, ut hoc certum sit; quale non foret, si dominium in conscientia non obtineret: ex his duobus fundamentis constat, præscribentem ex dispositione LL. fieri dominum; atqui nulla talis lex affirmat pro dominio translato in lædentem infra dimidium, ergo non est paritas.

13. Multò facilius res nostras custodire possumus, quam deceptionem in emptionibus evitare: ergo major ratio habetur transferendi dominium in præscriptionibus, quam in læsione emptionis infra dimidium iusti pretij.

Urgent 2. Si hæc ita se habent, injusta erit lex, quæ læso infra dimidium actionem in foro externo denegat. Probatur seq. hæc ratio non succurritur læso. 2. Foventur fraudes contrahentium, qui eò liberius se circumveniunt, quod sciant læso in foro externo denegari actionem, qua ad restitutionem compelli possent. R. neg.

neg. sequelam : ratio est , quòd ob varietatem circumstantiarum , ac diversum intrinsicum valorem etiam ejusdem speciei mercium , in foro externo perfecta æqualitas exigij , aut exactissima quædam regula constitui non poterat : ne itaque ex qualibet læsione lites , atque incommoda orientur , præfatam legem jure merito latam fuisse , tenendum est. Dein cum pauci modò dererantur à læsione ultra dimidium , licet actionem ex ea sibi intendi posse prævideant , ideo hæc lex non fovet , nisi subinde tantum per accidens , reliquorum contrahentium fraudes , ac malitiam.

Ob. 4. *Scienti ac consentienti nulla fit injuria.* R. dist. ant. consentienti non fit injuria , si omnino velit , ac prorsus sponte consentiat in hoc pretium conc. si etiam involuntarium admixtum sit , ac emptor solum consentiat , quòd minore pretio comparare mercem nequeat , licet hoc absolute velit , neg. ant. & conf. ut emens talem excessum donare censeatur , ultro ac sponte hunc excessum debet dare , etiamsi ignorantia justij pretij non laboret , nec iniqui venditoris avaritia , minore pretio nolentis vendere , compellatur , nec denique cupiditate , aut majoris lucri spe allectus fuerit.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum ?

An cavius potuerit vendi ratione lucri ex venditione cessantis ?

Inter alias causas , ob quas majore , quam naturali pretio res nostras vendere possimus , communiter numeratur etiam lucrum ex venditione cessans , quod tunc contingere dicitur , quando vendens majus lucrum ex re sua facere possit , si hanc non venderet , cum ergo in presenti casu fuerit positum , à venditore prævisum fuisse , pretium frumenti intra breve tempus ad *l. fl. 45.*

crucig. augendum esse , cessationem lucri ex hac anticipata venditione subsequutam fuisse apparet.

Dico itaque *1.* Si *Cajus* ad *10* vendendum ante tempus augendi pretij per vim , metum , aut fraudem injustè coactus fuerat , potuit justè hoc augmentum exigere , licet ementi insinuatam non fuerit , quòd ob brevi futurum pretij augmentum excessum istum

M 3

exi-

exigat. Probatur. cuiuslibet licet à se avertere damnum injustè sibi ab altero inferendum, vel illatum: sed ablatio spei de lucro aliàs faciendi aliàs; est aliquod damnum injustè à cogente ad venditionem illatum: ergo &c. Probatur 2. in cap. ult. de injurijs, & damno dato, & Clement. 1. de privilegijs statuitur, ut læsis satisfacere compellantur, qui per vim, metum, aut fraudem alterum impediunt à faciendi alicui legato: ergo ablatio spei est aliquod damnum, quod, si injustè illatum fuit, reparari debet.

47 Dico 2. Si Caius nulla vi, metu, aut fraude injustè compulsus fuit ad vendendum, attamen ex hac sua venditione verè aliquod lucrum eidem cessavit, exigere plus aliquid potuit, quanti scilicet speratum illud lucrum aestimabatur. Detracta tamen aestimatione laboris, periculi, vel expensarum, in ejus conservatione, ac distractione faciendarum. Ita ex communi docent Navarr. cap. 17. n. 21. & c. 18. n. 82. Valentia disp. 5. q. 20. pu. 2. & 5. Medina de restit. q. 32. Petrus Navarr. 3. de restit. c. 2. n. 33. Lefsius l. 2. c. 21. dub. 4. Molina disp. 95. in princ. Salas dub. 19. n. 3. §. 9. servaturus.

Probatur 1. Ex cap. naviganti: ultimò de usuris habentur sequentia, qui pannos granum, vinum, oleum, vel alias merces, ven-

dit, ut amplius, quam tunc vendant, in certo termino recipiant pro ipsdem, si tamen eo tempore contractis non erat venditurus, intellige, non debet ex hoc usurarius reputari. ergo &c.

Probatur 2. Merx, cujus pretium paulò post erit majus, jam mihi pluris est propter occasionem lucrandi, si illam servaverim, quàm si eandem quidem servaverim, nullum tamen lucrum esse facturus: ergo aliquid potero ultra ordinarium ejusdem pretium exigere, quod seclò illo sperato lucro exposcere non potuissem. Probatur consequenter, juxta omnes potest venditor supra justum pretium aliquid expectare, quando merx vendens plus valebat, vel aliquid peculiare commodum vendenti asserbat, si illam in tempus servaturus fuisset, ubi frumenti valor futurus esset major: ergo &c.

Probatur 3. Piscator quando ex suo labore aliquem fructum reportaturus esset, hic & nunc autem eundem laborem in gratiam alterius intermittat, in compensationem hujus sui sperati lucri potest aliquid exigere: ergo etiam noster Caius.

Probatur 4. Juxta communem ab damnum emergens, quod ex venditione in gratiam emptoris factam vendens patitur, potest ultra valorem ordinarium rei venditæ aliquid exigi: ergo etiam ob lucrum cessans, quia est etiam

aliquid damnū emergens, cūm
lucrum non minus sit estimabile,
quān damnū, & cuilibet per-
inde sit, sive centum florenos,
quos jam actu possidet, sive
alios centum, quos certo conse-
cuturus esset, amittat, item si
aliquis certam spem consequendi
ducentos florenos habeat, gra-
uius huic accidet illorum jactura,
quam si amittat 50. jam posses-
sos.

Examinandum modò sperest
in quibusnam circumstantijs ven-
ditio sit vera causa cujusdam luci
cessantis.

Circa hoc conveniunt cum-
nissimè omnes authores, requi-
ri, ut merx vendita præscindendo
à tali venditione verè fuisset con-
servanda in tempus, quo majus
illius pretium erit; neque con-
servanda in aliud adhuc longius
tempus fuisset, quo illius pretium
denovo diminutum erit. Item ut
pecunia, quæ tunc pro merce per-
solvitur, à venditore non fuisset
conservata ad illud tempus, in
quo talis monetæ valor augebitur:
ratio horum est, quia in
tali casu nullum lucrum vendenti
cessat.

Secundò, tventur non posse
communitè totum illud, quòd
prævisum sperabatur, augmentum
pretij exigi: ratio est, quòd il-
lud tantum lucrum ex venditione
præsentè mihi cesser, quòd dedu-
ctis expensis haberem: ergo ex
hoc lucro sperato deducenda erit

summa sumptuum, ac laborum,
qui in tali merce (si modò illa
non venderetur) conservanda,
deportanda, ac distrahenda, de-
berent fieri, consequenter non po-
terit absolutè totum, quòd spe-
rabatur, augmentum pretij exigi.

Tertiò Valentia 2. 2. disp. 5.
q. 20. pu. 2. concl. 3. §. 3. Salas
trañt. de empt. dub. 30. n. 4. requi-
runt, si plus exigatur, emptori
à venditore insinuandum esse exi-
gi à se aliquid plus ob lucrum ali-
quod cessans: probant: hac in-
sinuatione omisâ, hujus Exces-
sus solutio erit ementi involunta-
ria, plures enim emptores nol-
lent emere, si eisdem constaret,
ultra vulgare pretium à vendito-
re quidpiam expeti: alium etiam
adirent, qui pretio corrente ejus-
modi rem venderet sibi, aut de-
nique in aliud tempus emptio-
nem differrent.

Quartò, insuper exigunt non-
nulli, ut excessus pro lucro ces-
sante, si hoc non tunc statim, sed
secuturo primùm tempore emer-
gat, ultra vulgare pretium expe-
titus, non statim tunc, sed etiam
postea primùm ab emptore per-
solvatur. Probatur: si tunc sta-
tīm solveretur excessus, emptor
jam tunc solvendo excessum pri-
varet se etiam jam tunc suâ pecu-
niâ & lucrò, quòd inde habere
posset, cūm tamen vendenti tunc
nondum cessaret lucrum: ergo
non servaretur æqualitas, quam
tamen contractus exigit, volens

ut emptor non plus, quam debeat, solvat, & venditor non plus, quam valorem suæ mercis recipiat. Dein venditor jam tunc haberet pecuniam & lucrum, quod ex pecunia habere potest; & tamen tunc nullum adhuc lucrum eidem cessaret: ergo non servaretur æqualitas.

Ex his demum colligimus, ut licitè à Cajo quælibet scapha frumenti r. fl. 45. crucig. vendi potuerit, debuisse eidem certum, aut multum probabile fuisse, frumenti pretium intra breve tempus ad illam, vel adhuc majorem summam elevandum esse; Dein quòd præscindendo ab hac sua venditione frumentum in illud tempus conservaturus, & tunc distraçturus, & non in aliud longius, quo iterum valor diminuendus erat, conservaturus fuisset. 2. Ut adæquatum illum excessum, quem prævidit post breve tempus currenti tunc pretio adjiciendum, expetere potuerit, necessarium fuit, ut in conservando usque ad illud tempus, & tunc distrahendo tritico nullæ expensæ, & nulli labores faciendi fuissent: si enim his

retur, acceptum superaret lucrum cessans, cum illud tantummodo lucrum cesset, quod expensis deductis deest.

Dices. Licet probabiliter prævisum fuerit augmentum pretij, nihilominus periculum quoddam ex parte venditoris aderat perdendi hoc lucrum: & ob hoc periculum fuerat aliquid detrahendum: ergo adhuc non poterat exigere totum excessum pretij cum tempore futuri. 3. si verè aliquod periculum, vel perdendi frumenti, vel non obtinendi speratum lucrum adfuerit, ejusmodi periculi rationem habendam fuisse, consequenter debuisse inter se comparari spem lucri faciendi periculum non faciendi, ac siambo fuerunt æqualia, nihil potuisse exigere, prout tamen potuit, si spes lucri periculo dimittendi fuerit major ita Molina 2. disp. 36. num. 6. de mutuo, Card. de Lugo disp. 25. n. 101. Ratio est, quod alias nulla æquitas servaretur, quæ exigit, ut pretium magnitudini spei respondeat, quæ tanto minor est, quanto majus est periculum non recipiendi lucrum,

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num ob periculum solutionis augeri à Cajo pretium potuerit?

¶ **V**idimus in positione casus frumentum hoc fuisse Sempronio venditum creditò, seu habita de pretio fide, ac datà eidem solvendi morà: cum ergo Emporis hujus conditio causare non immeritò timorem, ac periculum possit, ne postea facultas solvendi eidem desit; movetur quæstio, num ob hoc periculum ultra vulgare, aut legitimum pretium recipere aliquid licitè venditor noster possit in pretium damni, quod tale periculum affert. Negativam in hac lite tenent Sotus, Navarrus, Toletus, Rebellus, Conrad. Lopez, Bannez citati apud Salas tract. de empt. dub. §. 1. n. 5.

Nituntur 1. Hi authores cap. Naviganti de usuris: ubi hæc leguntur: *Naviganti vel eunti ad mundinas certam mutuans pecunie quantitatem, eò quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.*

Moventur 2. cap. in civitate de usuris, ubi mercatores dicuntur peccare, qui piper aut cinamomum, quæ constant quinque lib-

ris, creditò alijs vendunt, ut postea sex libras numerent.

3. Inquiunt: in quacunque venditione saltem creditò facta aliquod periculum datur obtinendi pretium: ergo pro isto semper aliquid posset exigi.

4. Cum etiam periculum sit, ne hic excessus amittatur, etiam pro hoc iterum alius novus excessus, & sic ulterius pergendo, posset exigi.

5. Cum vendens possit rem istam omnino non vendere, ergo liberè vendens, liberè quoque in se hoc periculum suscipit.

6. Cum aliqui venditores sint ex natura sua magis timidi, quàm alij, possent illi plus exigere, quàm isti, quia majus periculum suo iudicio subeunt.

7. Tale auctarium deberet esse medium quoddam assicurationis: atqui non est tale aptum medium, quia & ipsum periclitatur.

8. Si liceret in tali casu recipere auctarium, ratio foret, quia hoc licet accipere, si prævideantur expensæ in obtinendo pretio faciendæ: hæc ratio nulla est.

N

Pro-

Probant min. non est eadem ratio de periculo expensarum, & de periculo ipsius solutionis: expensæ etenim faciendæ sunt aliquid diversum ab ipsa solutione, periculum verò solutionis non est aliquid ab hoc diversum, eam non aliud detrimentum, quàm ipsius solutionis afferat: consequenter omne damnum reddit, qui pretium solvit.

9. Licentia petendi hoc auctarium non probatur ex eo quòd fidejussor pro sua fidejussione ob periculum possit aliquid expetere, etsi postea ipse debitor solvat. Ratio est; quod fidejussor novam, atque à debito diversam obligationem in se recipiat: ex opposito venditor nullam obligationem expectandi pretium diversam subeat.

10. Si subsequenti tempore pretium justum à debitore persolutum fuerit, omne malum fuit reparatum: ergo si aliquid plus superaddatur non servatur æqualitas.

11. Si periculum non obtinendæ solutionis diversum quid à merce foret, & diversa ejdem solutio foret debita, etiam fur deberet ultra sublatum equum, & cætera causata damna quidpiam addere propter periculum, quod dominus equi passus fuerat ob recuperationem oblatis per furem equi: atqui hoc est falsum.

Hæc ut ut probabilem sententiam hanc efficiant, opposita tamen nobis verosimilior apparet, affirmans quando verè periculum aliquid subest non obtinendæ solutionis vendentem creditò posse augere pretium, ita sentiunt Joan: Medina, Petrus Navar: Cordub: Arragon, Salon: Molina tract. 2. disp. 356. Lugo de Just. disp. 25. à n. 80. & disp. 26. Valent: 22. disp. 5. q. 20. pu. 2. conc. 4. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 13. & c. 21. dub. 6. Gibal, Santanellus. favet istis etiam D. Thomas opusc. 73. de usuris c. 10.

Probatur, molestia, timor & anxietas animi in gratiam & commodum alterius ab aliquo in se susceptæ sunt aliquid pretio æstimabile: sed pro re æstimabili licitè aliquid exigitur: ergo pro molestia, timore, atque anxietate animi potest aliquid exigi: subsumo, atqui vendens creditò alteri, apud quem verum datur periculum non obtinendæ solutionis, suscipit in se talem molestiam, anxietatem ac timorem animi, ergo pro his potest aliquid exigere: probatur major hujus argumenti, molestia corporis, item labores, aut dolores sensibiles capitis, si in gratiam alterius suscipiantur, sunt aliquid pretio æstimabile: ergo etiam molestia & anxietates animi, minor, & totum subsumptum etiam patent: ergo &c.

Confirmatur : valde inter se sunt diversi isti contractus , vi cuius unus vendit alteri frumentum pro presentis pecunia , vel creditò absque tamen periculo obtinendæ solutionis : alius econtra vendit illud frumentum creditò & cum magno periculo non obtinendæ solutionis : ergo si prior potest justum pretium exigere , posterior poterit accipere aliquod auctarium : probatur cons. huic posteriori contractui est aliquod novum onus adjectum : ergo &c.

Confirmatur 2. Literæ censuales venduntur minore pretio propter periculum obtinendæ solutionis : ergo hoc est pretio æstimabile.

Confirmatur 3. Periculum amittendi pretium verè habet rationem damni , cum virum prudentem , & nequaquam timidum reddat sollicitum , molestiam non modicam ejdem creans : atqui pro damno emergente licitè aliquid exigitur : ergo &c. Quæ omnia ex solutione , quæ huic sententiæ objecta superius fuerunt , magis patebunt.

Ad 2. *Ad cap. Naviganti* enim omittis illis , quas alij responsiones afferunt , respondeo , ibidem Pontificem de illo feneratorum loqui , qui aliter vendere vel mutuum dare recusat , nisi sibi simul liceat suscipere periculum fortis aut pretij , & ratione hujus suscepti aliquid exigere : cum tamen ven-

denti aut mutuuario debeat esse liberum assurecurare creditorem hoc , vel illo modo.

Ad cap. in civitate : de usuris , reponimus illum textum huc neutiquam quadrare , cum ibidem solummodo afferatur , ob dilationem solvendi pretij illicitum esse plus merces vendere , quàm modo valeant , nisi dubium habeatur easdem tempore solutionis plus vel minus valituras.

In tertio argumento , negatur , in qualibet venditione creditò facta , hoc periculum subesse : deest etenim illud , si aliquid venditori oppignoretur si debitor sit integre fidei , experientia notissimus , aut fidejussorem afferat.

Ad 4. Dicimus Lugone n. 84. loco citato disp. scilicet 25. sect. 6.


Quòd omnia ista , quæ pro periculo istius excessus possunt expeti computentur jam in primo interesse , nam pro periculo pretij justum pretium censetur illud primum interesse periculosum , pro cujus periculo nihil aliud exigatur : ex quo inferitur , minus quàm defacto taxetur , taxandum fore interesse , si hoc statim solveretur.

Ad 5. Dicimus , quòd vendens liberè , se quidem in hoc periculum conijciat cum augmento tamen , & aliquo excessu , ob hoc periculum liberè in se susceptum , quod licetè potest exigere , ob rationes nostræ asserptionis.

In sexto loco allatam rationem solvimus, quod mensura hujus auctariorum ob periculum fortis sumenda sit ab aestimatione atque affectione prudentis, ut tantum accipi ratione periculi possit, quanti vir prudens & constans aestimaret illum metum & molestiam animi ex periculo oriri solitam: seu quanti ipse emeret liberationem ab hoc periculo: ergo ex nostris principiis male infertur, magis timidum, ac magis anxium venditorem posse plus exigere.

In septima objectione negamus suppositum, tale enim auctarium non petitur ad affectionem fortis, ad quem finem magis conduceret pignus aut fidejussor sed exigitur ad compensandam illam anxietatem ac molestiam animi de amittenda solutione solliciti.

Denique cum fundamenta nostrae sententiae non innitantur principiis in object. 8. 9. 10. & 11. ideo allatae ibidem solutiones nobis obijci nequeunt.



CASUS VIII.

De Emptione Chirographorum, ac Nominum.

CAjo praefecto ararij regij offertur emendum: levioze pretio chirographum, vi cuius ipse Cajus ex suo arario regio Creditori solvere tenetur 50. florenos, annuos, occasione huius casus.

Q. 1. Utrum minore pretio eiusmodi chirographum emi possit, quia ex illius emptione damnum aliquod ementi emergat, aut quoddam lucrum cessat?

Q. 2. Quid si nullum damnum eidem per accidens emergat, aut lucrum cessat, quae tamen communiter alijs eveniunt?

Q. 3. Quid liceat, si ordinariè ac communiter nullum damnum, aut lucrum cessans ex chirographo detur.

Q. 4. Quid in his liceat praefecto ararij?